

Ia Romæ parte, quæ ad lævam consistit, defecerunt; non autem Boji Galli, a quibus Italos descendisse diximus. Germani vero, quanvis iidem fuerint, qui, ex Italia pulsi, in Germania reclusi sunt, tractu tamen temporis, aliis moribus vixerunt. Unde ad solos Bojos Italos, qui modo in rerum natura non exstant, pœna illa redacta est, & Carnificis officium additum; ex quibus quoque nomen emerfit, quod est omnibus funestum, & execrabile.

Hæc quidem modestius pro A. Gellio dicta sint; quæ si Legentes non pronis auribus accipient, aliter respondebimus, & Gellius ipse parceret nobis, si pro veritate tuenda, ejus nomini consulere, quantum volumus, haud possumus. Gellius siquidem non Historici partes egit, sed Grammatici potius, aut saltem Academici, quum illa componeret, quæ noctu in agro Attico recitabat. Hinc Operi suo *Noctium Atticarum* titulum inscripsit; quod potissimum suscepit, ut hyemalium noctium longitudinis tædio socios sublevaret: Quemadmodum ipsemet in Operis fine manifestavit, verbis hisce: *Sed quoniam longissimis per hyemem noctibus in agro, sicut dixi, terræ Atticæ commentationes hæc laudare ac facere exorti sumus, idcirco eas inscripsimus, Noctium Atticarum.* Et paulo post: *Nos vero, ut cætus noster est, incuriose & immediate, ac prope etiam sub vertice, & ipso loco, ac tempore hybernarum vigiliarum, Atticas Noctes inscripsimus.*

Proinde haud exactam temporum rationem, haud nationum vera vel simulata præjudiciorum momenta, haud historicæ veritatis indaginem, vel perpendere, vel assequi, vel mereri, curavit. Hinc Ludovicus Vives lib. 3. de trad. discipl. scripsit: *Aulus Gellius, homo rhapsodus plane, congestor potius, quam digestor, & ostendit*